

gratiæ se opponentes, vires liberi arbitrii in spiritualibus extollentes. Quibus adde nonneminem, qui Part. 2. Disp. 8. §. 24. statuit voluntatem hominis non solum post actum consummatum (quo de nemini litem movemus) sed etiam in ipso actu sive *ἰνὸν* conversionis per auxilia gratiæ preparata esse *συνεργὸν Θεοῦ*, quo ipso *γνήσιον* alias Lutheranus non differt a Pelagianizantibus Pontificiis. In conversione transitive accepta solus Deus hominem illuminat & actus illos vitales efficit. Act. XI, 18. quo ipso homo pure passive se habet & nihil *ἐνεργητικῶς* ad conversionem & spiritualem vivificationem confert, in conversione autem intransitive sumpta actus in regeneratione divinitus donatos *ἐνεργητικῶς* Deo cooperando exercet: posteaquam conversus sum, agam poenitentiam, ait Ephraim. Docet id natura & formalis ratio regenerationis, quæ cum sit mutatio seu renovatio naturæ, Dei solius, non hominis opus esse debet, tum quia illa homini est simpliciter impossibilis I. Cor. II, 14. & juxta Rom. VIII, 7. *φρόνημα τῆς σαρκὸς ἐχθρὰ εἰς Θεόν*, & quæ Dei sunt, tum quia ut initio solus creavit hominem ad sui imaginem, ita ad eam solus ipsum reformare potest, & ut in generatione naturali liberi ipsi se ipsos gignere non possunt, nec quicquam conferre ad sui nativitatem, sed mere passive se habent: ita in generatione supernaturali nemo se ipsum convertere & regenerare potest, sed solius Patris cœlestis hoc est opus.

II.

Conversio est indebita, nec tenetur Deus hominem lapsum convertere vocare ad fidem eique vires sufficientes conferre.

Arminianis hanc thesin opponimus, qui contendunt, Deum ex æquitate teneri iis omnibus, a quibus post lapsum denuo